



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 42. Basileenses Legatorum Papalium decreta signare recusant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. XLII.

Sæcul. XV.
A. C. 1437.*Basileenses Decreta Legatorum signare recusantes.*

Nihilominus Basileenses Decreta Legatorum Papalium, & ceterorum illis adhærentium sigillo signare, omnino recusabant, spretis etiam ardentissimis plurimorum precibus. Decretum vero, & literas Synodi jamjam signatas Radulphus de Rudelhemii Cameræ Apostolicæ Auditor, & Guilielmus Metensis Archidiaconus Avenionem deferebant, accepto negotio, dictæ urbis civibus significarent, quod Synodus sublatis denique variis, multisque dissidiis, ad eos desideratas Bullas, atque decretum mittere decreverit, simulque jussit, ut Legatos, accepto necessario pecuniarum subsidio, quantocius Avenione discedere, ac juxta Synodi præscriptum ad transvehendos Græcos unacum Triremium Præfecto naves conscendere compellerent. Ceterum præfatum decretum æque ac illæ literæ coram pleno Patrum confessu expeditæ, ac præsentibus omnibus Avenionem transmissæ fuere, Papæ legatis, qui datæ facultati consenserant, nequaquam obluçantibus, & quamvis tres illi Deputati, qui sibi claves arcæ sigilla continentis vindicaverant, particulare

Sæcul. XV. Legatorum Papalium decretum sigillis
A.C. 1437. munire constanter recusassent, nihilomi-
 nus per quindecim omnino dies summa
 erat rerum tranquillitas; Quapropter
 Synodi Patres hac pace, cujus uberes
 fructus sibi ex suo Decreto, ac delegato-
 rum dexteritate promittebant, diu potius
 se posse speraverant.

§. XLIII.

*Decretum Legatorum signatum, &
 quo artificio?*

Verum pax ista insolito quodam modo
 turbata fuit. Quippe nonnulli Lega-
 tatis adhærentes, forte tacito ipsorum
 Legatorum, qui prætensum suum decre-
 tum Synodali substituere meditabantur,
 consensu, quemdam Bartholomæum, co-
 gnomento de Bertiferris, qui Cardinali
 Juliano Præsidi a secretis erat, necnon
 filium quemdam ejusdem Cardinalis fa-
 miliarem ad suas partes pertrahunt, ho-
 rumque opera, & noctis beneficio arcam
 in qua Synodi sigilla includebantur, se-
 ris revulsis aperiunt, pluraque acta
 agnunt, quæ præfatum complectebantur
 decretum, quod ab exigua illa Legatis
 Pontificiis adhærentium parte conditum
 Synodalis decreti nomen præferebat,
 perinde ac si vera Concilii sanctio fuisset.
 Sub idem quoque tempus aliæ etiam e-
 pisto-